

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Ad Memoriam Anniversariam ... Rvdolphi Ferdinandi
Liberi Baronis De Silverstein Et Pilnickav Hereditarii In
Klein-Eila Craschen Pavsén Davber Bvchwalde Et Barg**

**Sylverstein und Pilnickau, Rudolph Ferdinand von Sylverstein und
Pilnickau, Rudolph Ferdinand von**

[Leipzig], [MDCCXXXVIII?]

VD18 13539000

urn:nbn:de:gbv:45:1-15018

AD
MEMORIAM ANNIVERSARIAM
VIRI PERILLVSTRIS
DOMINI
RVDOLPHI FERDINANDI

LIBERI BARONIS
DE SILVERSTEIN ET PILNIKAV
HEREDITARII IN KLEIN-EILA CRASCHEN PAVSEN DAVBER
BVCHWALDE ET BARG
TRIBVS ORATIONIBVS

DIE XVII. APRILIS A.R.S. MDCCXXXVIII.

HORA X.

IN AVDITORIO THEOLOGORVM

CELEBRANDAM

RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM

ILLVSTRISSIMOS COMITES

VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES

GENEROSISSIMOS NOBILISSIMOSQVE ACADEMIAE CIVES

OFFICIOSE AC PERAMANTER

INVITANT

TRIVM SVPERIORVM FACVLTATVM

DECANI SENIORES ET RELIQVI ASSESSORES.

In Proserb. XI. X. 17.





Quid futura feria quinta, RVDOLPHO in fa-
 ctis sacra, in memoriam nobis reuocat, benefi-
 cium, quo *Perillustis Generosissimusque Vir*
 RVDOLPHVS FERDINANDVS LIBER
 BARO DE SILVERSTEIN ET PILNI-
 KAV, *Hereditarius in Klein-Eila, Craschen,*
Pausen, Dauber, Buchwalde et Barg, cum
 scholas alias, et ecclesias, et xenodochia, tum
 maxime ciues Academiae nostrae, ornauit, tam magnum est, tamque
 splendidum et magnificum, vt, si regales Principum erga Academiam
 nostram liberalitates excipias, nullum aliud eidem equiparari possit, vt
 nunquam satis etiam a nobis laudari posse videatur. Etsi igitur ab aliis
 iam dudum sint de illo multa praeclare dicta, et litterarum quoque mo-
 numentis consignata, nunc tamen etiam a nobis requiritur, vt nos quo-
 que nouis iterum laudibus hoc beneficium cumulatam commemore-
 mus. Quid vero est, quod possit maiorem magni huius beneficii ha-
 bere laudem, quam si dicamus, quod illud totum *sit mutuo datum ipsi*
Deo, remuneratori eiusdem benignissimo et sempiterno, secundum il-
 lud sapientissimi Regum, מְלוֹךְ יְהוּדָה חֲזָן הָאֵרֶץ, *mutuat Iehouae, qui*
largitur pauperi, Prou. XIX, 17. In quo loco, ad maiorem, huius
 quidem generis, beneficiorum commendationem, et remunerationis
 certitudinem, haec quoque verba adiiciuntur: וְהָיָה שְׁלֹמֹה וְיִשְׁרָאֵל, *et hic*
retributionem suam reddet ei. Non quidem sumus nescii, hanc esse
 naturam, haec requisita, illius, quod proprie *mutuum* dici solet, vt
 Deus non videatur quicquam ab alio mutuari posse. Quid enim aliud
 est mutuari, quam aliunde illud sumere, quod ipsi non habemus, et cu-
 ius nos etiam indigemus? Sed Deus est אֱלֹהִים שְׁרֵי, *omnipotens et sibi*
ipsi soli sufficiens, Gen. XVII, 1. & προσδεόμενος τινος, *qui omnino nul-*
lius indiget, Act. XVII, 25: ὁ τὸς τῆς ἐξουσίας καὶ τῆς γῆς Κύριος ὑπάρ-
 χων, *hic Dominus est, et coeli, et terrarum, quis dabit ei aliquid,*
 quod

quod ipse non habeat, Act. XVII, 24, et *quid sumet Deus e manibus hominum*, Iob. XXXV, 7? ICtorum quoque talis est *mutui* descriptio, qualis Deo attribui posse non videtur. *In mutuo*, aiunt, *datur alicui res fungibilis, ex lege, ut is, post aliquod interuallum, idem genus reddat, in eadem quidem, et quantitate, et qualitate.* *) Addunt praeterea explicationes alias atque alias, de illis, quae necessario ad tale *mutuum* requirantur, et GROTIUS, **) et PVFENDORFIUS, ***) et reliqui, de eodem argumento qui tractant, scriptores plurimi, ad *mutuum a commodato, depositoque* et cognatis rebus aliis distinguendum, in quibus, si a quaestione de usuris e fœnore e mutuo capiendis discesseris, mirum in modum consentiunt. Sed horum quoque omnium vix vnum erit atque item alterum, quod Deo conuenienter attribui posse videatur. Interim illud verbum לָוֶה, quo vitur hoc loco Spiritus Sanctus, *mutui* sumendi, vel sumpti, notionem, proprie sic dicti, habet, *) et, in Hiphil positum, vti hoc loco fit, idem est, ac mutuo rem aliquam alicui dare. **) Atque ita מְלוֹן יְהוָה is dicendus est, qui Deo aliquid mutuo dat, eundemque sibi quasi debitorem reddit. ***) Sed quale illud debitum erit, et qualis obligatio ad restitutionem debiti est, quae in Deum cadere, et ab homine in Deum deriuari possit? Quis denique est hominum omnium tam diues et potens, ut de eo, quod est *suum*, mutuo aliquid Deo dare possit, quod tamen maxime proprium est

*) Lib. 3. D. de reb. credit.

**) Vterque, et GUILIELMVS, *Enchirid. de Princip. Iur. Natur. Cap. XVII*, et HUGO, *Lib. II, de Iure Belli et Pacis, Cap. XII, §. 20. sqq.*

***) *Lib. V. de Iure Nat. et Gent. Cap. VII.*

*) Sic, Nehem. V, 4, consilium capientes contra diuitum vsuras, nonnulli ex populo Israelitico dicebant: לָוִינוּ כֶּסֶף *mutuo accepimus argentum.* Confer etiam Prou. XXXVII, 21, vbi impii reprehenduntur, propterea, quod mutuum, ab aliis sumptum, non restitunt.

**) Ita Deut. XXVIII, 12, Deus populo suo hanc dedit legem: *Mutuo dabis gentibus multis, tu vero mutuo non sumes.*

***) Delectantur hac phrasi mirum in modum ex Patribus nonnulli, quia homines dicuntur per eleemosynas Deum sibi reddere debitorem. Ita, v. c., CHRYSOSTOMVS, vel, quicumque demum autor est *Homiliae in Psalmum XXXVI*, Chrysostomo tributae, colligit: *Si Deus fœnori accipit eleemosynas, ergo noster est debitor*, quod repetit in *Homilia XV. in Matth.*, et, in *Homilia VII. in Epistol. ad Romanos*, vbi hoc consilium dedit parentibus, qui diuitias parare intendunt liberis suis: *Si liberos vestros citra periculum vultis diuites relinquere, relinquit illis Deum debitorem ex eleemosynis et beneficiis, pauperibus donatis et Deo mutuatis.* Similia tradunt AMBROSIVS, *de Tobia cap. 16*, et BASILIUS, in *Psalm. XXXVIII.* et plures alii, quos excitauit CORNEL. a LAPIDE, *Comment. in Proverb. Cap. XIX, 17.* Nos de hac loquendi ratione sic existimamus, sensu Patristico eam tolerari posse, et, de debitore propter promissionem mere gratuitam, exponi debere, sensu autem Papistico, in quem eam detorquet CORNELIVS d. l. et BELLARMINVS, *Lib. I. de Bon. Oper. in particul. cap. 4.*, quo illud ad eleemosynarum meritum refertur, extenditurque ad praemia huius vitae haud tantum, sed etiam ad iustificationem et vitam aeternam promerendam, improbandam esse et confutandam, quod fecit IO. GERHARDVS cum in *Toma IV. Loc. de Bon. Oper. §. 119, tum in Confess. Cathol. Lib. 2, Part. III, p. 882.*

est illius, quod *mutuum* dici solet, ut, qui mutuo aliquid alicui dare vult, de eo illud faciat, quod est *suum*? Nemo vero hominum omnium, ditissimorum licet et potentissimorum, est, qui illud, quod possidet et habet, *suum* nuncupare possit, si quidem cum Deo contendere, et cum eodem possessiunculas suas conferre, velit. Est Deus rerum omnium vnicus Dominus et summus, qui rerum quoque illarum, quas hominibus, ut feudum, seu bonum praediumue beneficiarium, commisit et concedidit, dominium sibi eminens soli reseruauit. Oportet igitur, ad mentem sententiamque verborum Salomonis veram inuestigandam, ut *mutuum* distinguamus, in proprie communiterque ita dictum, et *mutuum ἀναλόγως*, perque ἀνθρώπου παρὰ θεῖαν, Deo attributum, ipsum quoque Deum, ut dicamus, nunc personam propriam sustinere, nunc aliorum, quos *suos* vocare solet, hoc loco pauperum, personam suscipere solere. Proprietates illae *mutui* commemoratae omnes bene quidem satis se habent, et pertinent ad *mutuum* ICtorum, seu illud, quod proprie *mutuum* est, cum omnibus, quae de debitore, eiusdemque ad restitutionem obligatione, recte adiciebantur, sed huius loci non sunt. Verba enim Salomonis *mutuum* nobis sistunt ἀναλόγως, et per ἀνθρώπου παρὰ θεῖαν Deo tributum, non personam propriam tenenti, sed pauperum, et suorum, sibi imponenti. Atque in hoc sermonis genere vocabula omnia, hoc loco vox, *mutui* et *debitoris*, si adhiberi h.l. debent, quando de Deo pronuntiantur, amittunt notiones populares suas ac proprias, quas solent alias admittere, et liberari debent ab imperfectiōne omni, quam habent, vel connotatam, vel consequentem. Hoc quidem loquendi modo, nunc etiam nos asserimus, adiecta particula vniuersos et singulos significante, כָּל, *omnis* (propter enallagen singularis pro plurali *)) חֲזֹן רָר, vel, ex Prou. XV, 31, חֲזֹן רָר, *omnis*, qui gratiosum se exhibet pauperi, non benignis tantum verbis eum excipiendo atque erigendo, neque animo solum commiserante aerumnas eiusdem digne expendendo, sed larga etiam manu egestati eiusdem subueniendo, cibum ministrando famelico, vestiendo nudum, suscipiendo extorrem, aut stipem quamcumque aliam erogando **), imo et frigidam solam porrigendo, scilicet propter Deum et in nomine Iesu, ex Matth. X, 41, רָר, pauperi, seu extenuato viribusque et bonis omnibus exhausto, vel אֲבִיּוֹן, expectanti atque expetenti eleemosynam et beneficia, adde etiam, iusto, in Christum credenti et pio, in primis

* 3

Pro-

*) Per huiusmodi enallagen, idque κατ' ἐμφασιν, indicatur propositio vniuersalis. Vid. SAL. GLASSIUS, *Grammat. Sacr. Lib. IV. Tr. II, Obseru. XVIII.*

**) Conferri hic meretur MARTIN. GEIERVS, in *Enucleat. Prouerb. Salom.*, ad h.l., vbi, mentem Spiritus Sancti ante interpretatus, Rabbiorum deinde ψευδεργμηνείας reiicit, ac refutare docet, quibus, id, fingunt, Regem Salomonem significare voluisse, quod Deus *mutuo det diuiti ea, quae pauperibus ut eleemosynam erogat*, quae mira est verborum Spiritus Sancti inuersio veraeque sententiae, si dicendum, quod res est, illusio, Rabbiniis Scripto-ribus propria.

Prophetis Domini, eorundemque filiis, ex Matth. X, 41. sq. et Marc. IX, 41, is etiam, וְהָיָה כִּי יִשְׁלַח ה' אֶת מֹשֶׁה וְאֶת אֶלְיָשָׁר, mutuo dat Deo omnia, quae pauperibus dictis liberaliter distribuit et impertitur. Fit autem haec mutuatio, ut paucis multa dicamus, κατ' ἰδιοποίησιν τῷ Θεῷ, secundum appropriationem illam Dei, quam Christus ipse, optimus verborum Salomonis interpres, describit, Matth. XXV, 40, his verbis, quae suo, et Dei patris sui coelestis, nomine est elocutus: ἐφ' ὅσον ἐποιήσατε ἐνὶ τῶν τῶν ἀδελφῶν τῶν ἐλαχίστων, ἐμοὶ ἐποιήσατε, *quicquid fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*, praemissa etiam hac asseuerandi formula: *Amen, amen, dico vobis*. En amorem Dei et Christi incomprehensum! quo pauperes et miseros, vere credentes, et pios, maxime Prophetarum filios בְּנֵי נְבִיִּים indigentes et beneficia expectantes, ita suos facit, ut, eorum quasi personam in se suscipiens, sibi vendicet mutuo data omnia, quae illis dicti antea בְּנֵי largiter impertiuntur. Ita vero Deus et Christus ipse accipit beneficia et eleemosynas mutuatas per manus egenorum. Neque vero tantum accipit illas, ut sibi donatas, sed etiam pro illis quasi debitorem se et vadem supponit, restitutionem, remunerationemque, promittens vberissimam. Quae causa est, cur haec quoque verba subiiciantur: וְהָיָה כִּי יִשְׁלַח ה' אֶת מֹשֶׁה וְאֶת אֶלְיָשָׁר, *et retributionem suam reddet ei Deus*, quod ἐμφαικότερον est dictum, quia utroque in vocabulo, בְּנֵי, et בְּנֵי, inest retributionis significatio. Etsi vero, hoc sermonis genere, et remunerationis diuinae certitudo, et vbertas diuinarum compensationum, connotetur simul, praemiaque praeterea et benedictiones huius aequae, ac futurae, vitae his verbis sanctissime compromittantur, 1 Tim. IV, 8: quod enim pauperum excedit vires, id Deus, remunerando, praestat, et pro nutu, quo omnia potest, efficit, ut, quod eleemosynarum ac beneficiorum conditores in pauperes erogant, non tantummodo illis non desit, *) sed etiam dupliciter saepe, et decupla non raro, ac millecupla compensatione, restituatur et abundet, conf. Matth. XIX, 29. Non tamen ex eo, si quidem ἀντιλογεῖν velimus, vel usura, vel debitum, nedum meritum, deduci potest, vel talis dignitas, propter quam, vel propter quod Deus teneatur et obstrictus sit, pro mutuo, per manus pauperum accepto, vel ad mutuatum ipsum restituendum, praetereaque ad duplum eius, aut triplum, pro usura addendum, vel, quod ne cogitari quidem, nedum dici, aut doceri, debet, ad remissionem peccatorum, et ad salutem aeternam, vel ex condigno, ut aiunt, vel ex merito, conferendam. Quod enim ad usuram attinet, illa non requiritur in omni mutuo, ne quidem in humano, nedum in diuino, foro, de quo hic disceptatur. Remuneratio autem et compensatio diuina, quae compromittitur hoc loco, tantum

abest,

*) Bona nostra opera omnia, adeoque etiam eleemosynae et beneficia pauperibus tributa, quia debita sunt, meritum dici nequeunt, cum non habeant quod facile primum praecipuumque alicuius meriti est requisitum, ut non sit debitum. Dignitas autem nulla iterum inest in bonis operibus nostris, eleemosynis et beneficiis, pauperibus quoque erogatis, nisi aliunde, ex fide in Christum illis conciliata et accedens, sine qua si essent, ne placere quidem Deo possent, Hebr. XI, 6.

abest, vt sit mèrita, vt ne debita quidem commodè satis dici possit. Neque enim ex eleemosynarum ac beneficiorum, in pauperes collocatorum, dignitate est deriuanda ista retributio, sed ex benignissima, maximeque gratuita, promissione Dei, qua, non vsuram debitam, sed χάρισμα, seu praemia, temporalia quidem et aeterna, sed gratis liberrimeque conferenda, compromisit. Iustificatio autem, seu peccatorum condonatio, et vita aeterna, non ab operibus bonis, nec eleemosynis beneficiisque per manus egenorum Deo mutuo datis deriuanda, sed per fidem solam in Christum, χάρις ἔργων, speranda nobis est et obtinenda, Rom. III, 28, et Gal. II, 16. Neque enim bonos beneficiorum conditores, atque eleemosynarum erogatores, decet, praemia illa huius et futurae vitae gratuita intendere, vel etiam, expetere, nedum, vt debita, a Deo postulare, sed a benignissima Dei manu, vt gratis liberrimeque conferenda, tantum expectare.

Ex omnibus his summa laus et immortalis gloria relinquitur diui ac Perillustri, RVDOLPHI FERDINANDI *Nostri, Liberi Baronis de SILVERSTEIN, et reliqua.* Beneficium enim prope inauditum et incredibiliter liberale, nouem Academiae nostrae Ciuibus egenis iuxta, ac vere piis, et doctis, tam pie et prudenter destinauit, et distribuit, vt inter illos, qui Salomoni חן ונחמ דִּבְרֵי dicebantur, praecipuum locum mereatur. Dicamus ergo et nos, quod, חן ונחמ, mutuatus sit ipsi Deo haec omnia. Si verum est illud, quod CHRYSOSTOMVS scribit:*) ὁ δὲν χαρικτηριστικὸν χριστιανῆ, ὡς ἡ ἐλεημοσύνη, nihil aequè christianum indicat, quam eleemosyna, atque iterum alias,**) πλεσιός ἐστιν, ἢ ὁ πολλὰ κεκτημένος, ἀλλὰ πολλὰ διδὼς πεινχοῖς, diues est, non qui multa possidet, sed qui multa pauperibus largitur, Diuus certe NOSTER, raro admodum exemplo, vere, et diues, et christianus, fuit. Si verum est, quod vulgo dici solet, perire beneficia, quae male, et indignis conferuntur (haec enim Deo mutuo non dantur) prudenti admodum consilio fanciuit NOSTER, et disertis testamenti verbis, praecepit, ne aliis beneficia haec concederentur, quam de quorum pietate, ingenio, industria, et spe bona certa ex testimoniis fide dignis et examinibus publicis constaret, quique bonis literis, quae ad humanitatem spectant, et sanae quoque Philosophiae praeceptis, probe imbuti Academica studia, ingrederentur. Si verum est, quod, longe verissimum esse, iam ante demonstraui, quod primum facile et proprium sit officium illorum, qui per manus pauperum, Deo ipsi aliquid mutuari volunt, vt vsuram nullam expetant, et ne praemia quidem, vt debita, nedum promerita, a Deo exigant, sed benignissimam gratuitamque Dei compensationem seu remunerationem huius et futurae vitae, humiliter quidem, at certa tamen spe fidei, expectent, has quoque partes boni beneficiorum conditoris cumulatissime expleuit RVDOLPHVS Noster.***) Denique si verum esset, quod GREGORIUS NAZIANZENSIS scri-

*) Homilia XXXII. in Epistol. ad Hebraeos.

**) Homilia II. de statuis.

***) Pium maxime et demississimum animum confirmant haec verba Testatoris: *Es ist dieser mein ernstester und beständiger Wille, aus pur lauter und bloßer affection für arme studiosos,*

scribit, *) de eleemosyna et beneficiis pauperibus tributis: ἐμὸι θαν-
μασιώτατον, ἢ σύντομος τῆς σωτηρίας ὁδός, ἢ ῥάσις πρὸς ἔργον ἀνά-
στασις, *mibi nulla res perinde admirabilis videtur, quam compendiaria*
haec ad salutem via, facilisque in coelum ascensus, per eleemosynas,
nos etiam hanc viam, et *scalam in coelum erectam*, vti CHRYSOSTO-
MO dicitur, **) ex incredibili erga indigentes Ciues nostros liberali-
tate *Siluersteiniana* deduceremus. Cum vero nimia haec et catachre-
stica eleemosynarum commendatio ἀκυρολογίαις quorundam Patrum
sit relinquenda, nobis sufficit tantum repetere illud Salomonis, et in mu-
nificentissimum indulgentissimi beneficii nostri Conditorem accommo-
dare: *לַיהוָה יָדוּ כִּי עָשָׂה לִי*, *retributionem suam iam reddidit ei Deus*.
Paulo enim post, quam testamentum obsignauerat, receptus a Deo est
in gloriae coelestis aeternaeque felicitatis omnium vere beatorum pos-
sessionem, vbi ad reficiendum eum, et ad mutuum Deo datum plene
remunerandum, nihil eidem deest, nisi corporis, aliquando resuscitan-
di, ad eandem gloriam euectio sempiterna.

Et si vero ad hanc mutui compensationem nihil deest, deest tamen
pars vna officii nostri, vt, inter beatos coelites nunc triumphantis, prae-
miisque aeternis praeter ceteros donati, erga Ciues nostros Maecena-
tis optimi laudem, et beneficiorum ipsorum Academiae nostrae ab eo
collatorum tam illustrium memoriam ad omnes vsque posteros conser-
uemus. Quam ob rem, hoc pietatis officio fungentur, ex nouem
alumnis, hi consequentes tres,

IOHANNES GEORGIUS SELDMANNVS, Cygnensis
Misnicus, ex ordine Theologorum,
GEORGIUS FRIDERICVS HENNIG, Iaurau. Silesius,
Iuris vtriusque cultor,
IOHANNES HENRICVS SCHMID, Lipsiensis, ex ordine
Medicorum,

et proximo die Iouis, post horam X. in Auditorio Theologorum,
SILVERSTEINIANAE Gentis, atque inprimis RVDOLPHI
nostri, cui maximam *Siluersteiniani stipendii* portionem debent, gloriam,
orationibus tribus celebrabunt, ad aeternam posteritatis recordatio-
nem. Hos igitur, vt *Rector Academiae Magnificus, Comites illustrissimi,*
Proceres vtriusque Reipublicae Grauissimi, omnium denique ordinum
Ciues, beneuole audiant, atque haec sacra anniuersaria praesentia sua or-
nent atque illustrent, ea, qua decet, obseruantia et humanitate roga-
mus. P.P. Lipsiae Dominica Quasimodogeniti, An. MDCCXXXVIII.

bergeslossen, und einzig und allein zur Ehre Göttlicher Majestet, und Aufzuehung der
Jugend zur wahren Pietät und Nutzen der Nachwelt abgezielet. Addit etiam, paucis in-
teriectis aliis verbis, hoc votum, soli Deo pie deuotum: Du aber mein Iesu hilf, sampt
deinen Vater und dem Heiligen Geiste, daß alles möge zu deines heiligen Namens Ehre ge-
than und vollendet werden!

*) Oratione XX. de Eleemosyna.

**) Homilia VI. ad Titum, vbi, ἡ ἐλεημοσύνη, inquit, ἐστὶ κλίμαξ εἰς τὸν ἔργον ἐστηγμένη,
eleemosynae sunt scala erecta in coelum.

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.